

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Angelus r  
cum fonte primo

In quo uis diuersorio,  
in quo uis angulo reuerenciam exhibe tuo angelo  
ne audeas illo presente  
quod me uidente non auderes.

Adsunt igitur tibi non modo presentes tecum,  
sed etiam pro te adsunt ut protegant,  
adsunt ut prosint.

Bernardus ibidem (in sermone quadragesime super  
illud: Accesserunt angeli).

In quouis diuersorio,  
in quouis angulo, angelo tuo reuerentiam habe.  
Tunc audeas illo praesente,  
quod uidente me non auderes?  
An praesentem esse dubitas quem non vides?  
Quid si audires? Quid si tangeres?  
Quid si olfaceres? Vide quia non solo visu  
rerum praesentia comprobetur.  
Non omnia visui subiacent, ne corporalia quidem;  
quanto magis spiritualia procul sunt ab omni sensu  
corporeo, et spirituali potius vestiganda.  
Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat  
praesentiam non deesse. Nec dixisse piget,  
quoniam fides probat, quam nimirum Apostolus  
ARGUMENTUM NON APPARENTIUM esse diffinit.  
Adsunt igitur, et adsunt tibi, non modo tecum,  
sed etiam pro te. Adsunt ut protegant,  
adsunt ut prosint.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in Psalmum*  
“*Qui habitat*”, 12.6 (SBO 4, J. Leclercq, C.H.  
Talbot, H.M. Rochais eds., p.460, ll.16-26).